



MAGNIFICO ET NOBILISS. VIRO D. LEON-

HARDO AB ECK IN VVOLFS ET RANDECK, DOCTORI, SVPREMO ILLV-
strissimi Principis nostri Consiliario, & singulari Academiae Mecœnati, Georgius Leonbergerus. S.

QVONIAM MAGNIFICE DOMINE, pro tua singulari humanitate scripti nihil non accipis, quod modo tractari, legiq; dignum sit ab homine honeste, & liberaliter instituto. Itaq; sit, ut alius tibi ferat elegos, alius numeros heroicis, alius uarie mixtum carminum genus, multi Latina, Græca nonnulli, Germanica non pauci. Sciunt quantus amor tibi sit omnium disciplinarum, quam benignus sis, atq; propitius omnibus literatis, quid egeris, ut optima quæq; studia suscitares, quæ inscitia grassante intermorta iacebant. Hæc & ego mecum repetens, & ut intelligas, quam studiorum rationem habeam, has quæstiones tuo nomini nuncupavi, sub ea tamen conditione, si easdem in hoc omnium excellentissimo Gymnasio non penitus ineleganter sua die defendero. Accipe igitur uir nobilissime nostros conatus, & splendore tui nominis illustra. Vale.

PRAESIDIO DIVINI NUMINIS INVOCATO, ET CVM CONSENSV
famigeratissimæ Facultatis huius celeberrimi Gymnasij, minimus inter alios utriusq; censuræ studiosos
Georgius Leonbergerus elicitas ex infra scripto themate quæstiones pro uiribus
sustinere conabitur. Quare rogat &c.

Thema tale est.

OTTO QUIDAM NOBILIS BAVARVS suum ultimum condens elogium ita dicebat. Hartmannus filius dulcissimus sit mihi hæres. V Volphgango nepoti lego arcem Noricam cum omnibus adiacentibus prædijs, & uineis. Bonum siquidem opus, & mihi quam iucundissimum operatus est, cum Adelgundem mulierem nobilem, pudicissimam, inopem, & indotatam in uxorem duxit. Engelhardo nepoti lego fundum Danubianum, sub illa tamen conditione, si non donauit omnia bona præsentia, & futura ipsi Eberhardo: uix enim laudarem huiusmodi donationem. Cunegundi nepti suauissimæ, cum semper illam nouerim religionis studiosam, si cœnobii diuæ Balpurge ingredietur, lego aureos nummos mille, si uero nupserit V Vilhelmo uiro optimo, lego bis mille. Et ne silentio præteream Conradum, qui meo per tot annos astitit senio: puto igitur ei prouisum, cum agrum illum Austriacum amplissimum mea solum opera, & industria ab Ernesto Comite in emphyteosim accepit. Hoc ita testamento ordinato uitam cum morte commutauit. Apertis autem tabulis Hartmannus filius tot ampla legata ægrè ferens, & alijs de causis hereditatem repudiando solam legitimam accepit. Compertum quoq; fuit, quod Engelhardus donasset omnia bona præsentia & futura ipsi Eberhardo. Cunegundis cœlibem uitam ducens, & fratrem imitari uolens, donauit omnia bona præsentia & futura cœnobio diuæ Balpurge. Conradus uero triennio non soluit canonem ipsi Ernesto Comiti. Quare tam occasione tabularum, quæ respectu actionum, aliarumq; personarum iudicialiter contigit dubitari de pluribus.

- Quæstio. I.** Quia Hartmannus filius hereditatem repudiando solam legitimam accepit. Primo.
Vtrum filius hæres institutus possit hereditatem repudiare & solam legitimam acceptare. Negatiua e communis
- Quæstio. II.** Quia Engelhardus fecit donationem omnium bonorum præsentium & futurorum ipsi Eberhardo. Dubitatur secundo
Vtrum donatio omnium bonorum præsentium & futurorum facta priuato ualeat. Negatiua e cois
- Quæstio. III.** Quia Cunegundis donauit omnia bona præsentia & futura ipsi cœnobio diuæ Balpurge. Dubitatur tertio.
Vtrum donatio omnium bonorum præsentium & futurorum facta alicui pio loco ualeat posito qd aliter non ualeret. Afirmatiua e cois
- Quæstio. IIII.** Quia Conradus triennio cessauit soluere canonem ipsi Ernesto Comiti. Dubitatur quarto
Vtrum emphyteota priuati qui cessauit triennio soluere canonem possit moram purgare.

AD CLARISS. ET NOBILISS. VIRVM D. FABIVM ARCADEM DE NARNIA ROMANVM,
apud Ingolstadtium iuris ciuilibis professorem primarium, præceptorem suum bene meritum. Georg. Leonbergerus.

VIVE FABI, iuris qui es consultissimus omnis,
Nobilis, & claro sanguine natus eques.
Aurea te genuit fausto sub sydere Roma,
Misit & ad celebres urbis ab arte uiros.
Edoctus primùm uariarum uincula legum
Soluere, & in summis differuisse scolis;
Præcipue iuris quò se totius alumna
Felsina laurifero tollit amœna iugo.
Hinc tua fama fuit totum uulgata per orbem,
Notaq; non tardè gloria facta tua est.

Ipse tuum nomen longis audiuit in oris
Princeps, cui Boium seruit utrumq; latus.
Et precibus magnis nostram te duxit ad urbem,
Pollicitus meritis premia digna tuis.
Iuris ut hic esses nouus instaurator adempti,
Consilio posses Nestoris esse loco.
Quantum profueris, testantur Rhenus, & Ister,
Ac in eos quotquot præcipitantur aque.
Omnis te sequitur Leto Germania plausu,
Quanta sub Arctoo sydere cunq; patet.

Nos quoq; qui patrio colimus loca proxima Rego,
Hoc sine te nunq; conficeremus iter.
An ne erit, ut possim nullas tibi dicere laudes?
Nullaq; sit facta gratia nostra tuo?
Desinet esse prius calidis contrarius humor,
Aut eadem regio uester & ortus erit.
Quàm tuus à nostro labatur pectore uultus,
Quamq; tuum merita stet sine laude decus.

DIE, ET HORA ALIAS
PUBLICANDIS.

